



# DEO OPTIMO

## MAXIMO CREATORI

### HOMINIS INCOMPREHENSI-

BILI, PRO INGENTI EJUS ERGA IPSUM

BENEVOLENTIA ATQUE

MISERICORDIA.

#### ORATIO GRATVLABVND A.

**O**MNIPOTENS rerum conditor, creator mi incomparabilis, qui ex insigni tua erga hominem benignitate cum tanta excellentia & sublimitate creasti, <sup>a Arist. 2. Ethic. 7. b Resol. Theol T. 2. p. 2. p. 3. q. 1.</sup> ut illum quodammodo finem omnium statueris: quippe cui rationem concedendo, eum cum Angelis convenire, potentias sensitivas attribuendo bruta exæquare, vires naturales præbendo plantis assimilari, corpus largiendo, cum rebus inanimatis consentire fecisti: <sup>c Arist. polit. lib. 3.</sup> imò verò ipsum animal providum, sagax, acutum, memor, rationis atque consilii plenum, admirabili conditione creare voluisti, <sup>d Merc. Trismeg. A/c ep. 4.</sup> ejusque naturam excelsam ita temperasti, ut ipsis cœlicolis eam cognitam, Angelisque quàm proximam reddideris: <sup>e Merc. Trismeg. A/clep. 4.</sup> cujus integrum ex animi & corporis, hoc est, ex æterna & mortali dispositione conformasti, ut animal ita creatione tua affectum utriusque origini suæ satisfacere possit, & mirari cœlestia & adorare te (sempiternæ Elohim) atque incolere & gubernare terrena, ita ut, quæ infra sunt, diligat & curet, & ipse à te tuisque ministris superioribus, Angelis nempe, diligatur & curetur: <sup>f Merc. Trismeg. Pim. 4. & A/clep. 3.</sup> similiter ut ipse terram colat, elementis velocitate misceatur, acumine mentis in maris profunda descendat, omniaque illi apertè & perspicuè luceant, quatenus animi ejus intentionem nulla aëris caligo cōfundere, aut terræ densitas ejus opera impedire aut aquæ altitudo profunda ejus despectum auferre queat: Ego tuus homo, tua creatura, immensa sui creatoris dignitate & nobilitate glorificata atque exaltata, clamo per ignem, per aërem, perq; terram, per cœlum, per spiritum universalem, per abyssum, perque mundi creata: